

Liber xx^o

sunt nō illi obeditur: ipsoq; suos psecutores iudeos qui calamo q̄ssato pdita integritate et lmo humati amissio lumine copati sunt. nō otruit. non extinxit: q̄ p̄cepit eis. qui nondū venerat eos iudicā. s; ab eis iudicari. In veritate sane p̄tulit iudicium: pdicēs eis q̄n p̄mendi essent: si in sua maliginitate p̄fisteret. Refusit i monte facies eius. in orbe fama eius: nec cōfractus hue cōtritus ē: quia neq; i se. neq; in ecclēsia sua ut ēē defistēt psecutorib; cessit. Et ideo nō est factū nec fieri qd immīti eius dixerūt. vel dicūt: q̄n moriet et p̄bit nomē eius: Donec ponat i terri iudicium. Ecce manifestū ē qd absconditū q̄rebamus. Hoc enī est nouissimū iudicium: qd ponet in terra cū venient ipe de celo. De quo iam videmus impletū qd hic ultimū positiū ē: et in noīe eius gētes sperabunt. Per hoc certe qd negari nō p̄t: etiā illud credat qd impudēter negat. Quis enī speraēt q̄ etiā h̄i qui nolūt adhuc credē in xp̄m iā nobiscū vidēt: et qm̄ negātē nō possunt. dentib; suis frenēt et tabescēt. Quis inq; speraret gentes in xp̄i noīe speraturas. q̄n tenebat ligabatur cedebat. illudebat. crucifigebatur. q̄n et ipi discipuli spēm p̄diderat quā in illo habētā cēpāt. Qd tūc vñ latro sperauit in cruce: nūc sperat gētes longe lateq; diffuse. Et ne in eternum moriatūt: ipa in qua ille mortuus ē cruce signātūt. Nullus igitur vel negat vel dubitat p̄ ih̄m xp̄m tale qualestis sacrī literis p̄nūciatur futurū esse nouissimū iudicium: m̄hi q̄ eisdē literis nescio qua incredibili ammositatem seu cecitate nō credit: q̄ iā vētate suā orbī demōstrauere terraz. In illo itaq; iudicō vel circa illō iudicium. has res dicimus esse vēturas. Heliā tesbitē. fē iudeo r. antixpm psecuturū. xp̄m iudicaturū: mortuorū resurrectōz bono-

rū. malorū dīrepcoz mūdiōfla gracoz eūsdeq; renouacōz. Que oīa quidērē tura esse credendū est. S; quib; modis. et quo ordīne vēiat: magis tunc docebit rerū expīta: q̄ nūc valer cōsequi ad pfectū homīm intelligētā. Existimo tū eo quo a me memorata sūt ordīne esse vēitura. Duo nobis ad hoc opus p̄tinētes reliqui sūt libri: ut adiuātē dño p̄missa cōpleamus. Quos rū erit vñus de malorū supplicio: aliq; de felicitate iustorū. In quib; maxime sicut deus donauerit argumēta reuelātur hūana. q̄ contra pdictā ac p̄misfa dīma sapiēter sibi miseri ridere vident: et salubri fidei nutrīmēta velut falla et ridēda otēnūt. Quā vero scđm deū sapiūt: oīa q̄ incredibilia vīdetur homībus. tū scripturis sanctis quāz iā vēitas multis modis asserta ē cōtinetur: maximū argumentū tenēt vēracē dei om̄i potētā: quē certū habēt nullo mō in eis potuisse mentiri. et posse facē qd impossibile est in fideli.

Explīcāt liber vīcesimus.
Incipiūt tituli i librū. xxii.

- i. De ordīne disputacōis q̄ p̄pus differendū est de p̄ etiō supplī cō dānatorū cū diabolo. quā de eterna felicitate sanctorū.
- ii. An possint corpora in vītione ignis esse ppetua.
- iii. An sequēs sit ut corporeū dolorē sequat̄ carnis īteritus.
- iv. De naturalib; exēplis quorū cōsideracō doceat posse īter cruciatus viuētia corpora pmanere.
- v. Quāta sūt q̄ nō recte queant agnoscī. et tū eadē vera esse nō sit ambiguū.
- vi. Qd nō oīa miracula naturalia sūt. s; pleraq; hūano īgenio

- modificata pleraq; aut demo
nū arte cōposita.
- vii De rebus miris summa cre
dendi racō sit om̄ipotētia crea
toris.
- viii Nō esse contra naturā cū i aliq
re cuius natura innotuit aliqd
ab eo qđ erat notū incipit esse
diuersū.
- ix De gehenna et eternarū quali
tate penarū.
- x An ignis gehēne si corporalis
est possit malignos spūs id ē
demōes incorporeos tactus suo
adurere.
- xi An hoc racō iusticie habeat ut
nō sint exteniora penarū tpa
qđ fuerint peccatorū.
- xii De magnitudine puericōis
pme ob quā eterna pena om̄i
bus debeatur. qđ extra gratiam
fuerint saluatoris.
- xiii Cōtra opinionē eorū qđ putat
criminois supplicia post mor
te causa purgacōis adhiberi.
- xiv De peccatis temporalis istius vite
quibus subiecta ē hūana oīdicō.
- xv Qđ om̄e opus gratiē dei eru
entis nos de profunditate vete
ris mali. ad futuri seculi pting
at nouitatē.
- xvi Sub quibus ḡtie legib⁹ om̄es
regeneratorū habeat etates.
- xvii De his qđ putat nullorū hoīm
penas in eternū esse māsuras.
- xviii De his qui nouissimo iudicō
pter intercessiōes sanctorū
nemimē hoīm putat esse dam
nandū.
- xix De his qđ iniquitate om̄i pre
catorū pmittunt etiā hereticis
pter picipacōne corporis xp̄i.
- xx De his qui nō om̄ib⁹ h̄is eis tñ
qui apud catholicos sunt re
nati. etiā si postea in multa cri
- mia erroresq; prouident indul
gēnā pollicetur.
- xxi De his qđ eos qđ pmanet in ca
tholica fide etiā si p sime vix
erint. et ob hoc vri meruerint.
tñ ppter fidei fundamentū sal
uādos esse definit.
- xxii De his qđ putant ea ei immia qđ
inter elemosmarū opa omittū
tur. ad dānacōms iudicū nō
vocari.
- xxiii Cōtra opinionē eorū qđ dicūt
nec diaboli nec hoīm malorū
ppetua futura supplicia.
- xxiv Contra eorū sensū qui i iudicō
dei om̄ib⁹ reis ppter sanctoū oī
pces putat esse parcendū.
- xxv An hi qui inter hēt eos bapti
zati sūt ad deteriores postea ma
leviēdo facti sūt. vel hi qui
apud catholicos renati ad lx
reles aut scismata trahierūt. vel
hi qđ a catholicis apud quos
renati sūt nō recedētes crimi
nose viuē ppterūt. possint p
ulegio sacramētoū remissiō
eterni sperare supplicij.
- xxvi Quid sit in fundamēto habere
xp̄m. i quibus sp̄o deatur salus
qđ p ignis vſtrā.
- xxvii Cōtra eorū p suashōz qđ putat si
bi nō obfutura peccā. in qđ cū
elemosmas faceret ppterūt.

Explicitū tituli libri. xxi.
Incipit liber. xxi. ¶ Ca. p. mū.



futurū diaboli et oīm ad eū p̄tinētiū in
ho c libro nobis q̄ntū ope dñima va-
lebimus diligētiū disputādū ē. Deo
aut hūc tenē ordinē malui ut postea
differā de felicitate sanctorū: qm̄ vtrū
q̄ cū corpib⁹ erit: et incredibilius vi-
det̄ esse i eternis corpa durae crucia-
tib⁹: q̄ sine dolore vllō in eterna bñtu
dime p̄manē. **A**et p̄ hoc cū illā penā nō
debet̄ esse incredibilē de mōstrauero:
adiuabit̄ me plurimū ut multo faci-
lius oīm carēs molestia immortalitas
corpis in sanctis futura credat. **N**ec
ad uimis ordo iste abhorret eloqujs
vbi aliqñ quidē bonorū bñtudo prūis
pomitur. ut ē illud. qui bona fecerūt in
resurrectionē vite. q̄ aut mala egerūt
in resurrectionē iudicij: s̄i aliquido et
posteriorū: ut ē. mittet̄ filius hoīs an-
gelos suos. et colligēt de regno eius
oīa scandala. et mittet̄ i caminū igm̄is
ardētis. illic erit fletus. astridō: den-
tiū: tūc iusti fulgebūt sic sol in regno
patris sui: et illud. sic ibunt iusti in
suppliciū eternū: iusti aut in vitā eter-
nā: et in p̄pletis. qd̄ om̄emoraē lōguz
est. nūc ille. nūc iste ordo si quis m-
spiciat inueniatur. **S**i ego istū q̄ causa
elegerim̄ dixi. **C**a. ii.

Quid igitur ostēdā. vnde con-
iunctur increduli posse hūana corpora
aiata at; viuētia. nō solū nūquā mor-
te dissolui: sed i eternorū q̄ igm̄ du-
rare tormentis. Nolūt enī hoc ad om̄i-
potētis nos referre potentia: s̄i aliquo
exēplo p̄suadei sibi flagitāt. **Q**d̄ si re-
spondebimus esse aialia p̄fecto cor-
ruptibilia q̄ mortalia. q̄ tñ in medijs
igm̄b⁹ viuāt. nō nullū etiā genus v-
mūm aquaz calidaz scaturigie re-
pire quarū feruorē nemo impune co-
trectat. illos aut nō solū sine vlla sui
lesione ibi esse: s̄i extra esse nō posse. a-
nolūt credē si ostēdere nō valemus:
aut si valuerimus. siue oculis demō-

strare fes ip̄as. siue p̄ testes ydoneos
edocere. nō satis esse hoc ad exēplū
rei de qua questio ē. eadē infidelitate
otendūt: q̄ hec aialia. nec sp̄ viuūt. et
in illis feruorib⁹ sine dolorib⁹ viuūt:
siue quippe nature ouemētib⁹ vegetā-
tur. illis nō cruciātur elemētis: q̄ in non
incredibilius sit vegetari. q̄ cruciari
talib⁹ reb⁹. Mirabile est enī dolere in
igm̄b⁹ et tñ viuere: s̄i mirabilis viuē
in igm̄b⁹ nec dolere. **S**i aut̄ hoc cre-
dit̄: cur nō et illude. **C**a. iii.

Ded nullū ē inquietū corpus qd̄
doleri possit: nec possit mori. **E**t
hoc vñ scimus. Nā de corporib⁹ quis
certus ē demonū vtrū in eis doleāt qñ
se affligi magis cruciatib⁹ oīfiteure:
Qd̄ si respōdet̄. terrenū corpus solidū
sc̄; atq̄ ospicuū nullū esse. at; ut vno
potius noīe id explicē nullā esse car-
nē q̄ dolori possit mori: q̄ nō possit: qd̄
aliud dicit̄ nisi qd̄ sensu corporis hoīs
et expiētia collegeit̄. Nullā nāqz car-
nē nisi mortale sc̄iūt. **E**t hec ē eorū to-
ta racō: ut qd̄ expti nō sūt: nequaq̄ ēē
posse arbitrētur. Nā cuius racōis est
dolorē facere mortis argumētū: cū vi-
te potius fit iudicū. **E**t si enī q̄rimus
vtrū semp̄ possit viuere: certū tñ ēvi-
uere oīme qd̄ dolet: dolorēq̄ oīmez nisi
in reviuente esse nō posse. Necesse est
ergo ut viuat dolēs: nō ē necce ut oc-
cidat dolor: q̄ nec corporista morta-
lia: et vtiqz moritura om̄is dolor occi-
dit. **E**t ut dolor aliq's possit occidere:
illa causa est: qm̄ sic est aia onexa hu-
ic corpori ut sūmis dolorib⁹ cedat atqz
discedat qm̄. iīp̄ aopago mēbrorū at;
vitaliū sic infirma ē. ut eā vīm q̄ ma-
gnū vel sūmū dolorē facit non valeat
sustīnere. Tūc aut̄ tali corpori aia. et eo
onectetur mō ut illud vinculū sic nul-
la t̄pis lōgitudie soluit̄: ita nullo do-
lore rūpat̄. Promde etiā si caro nunc
talis nulla est que sensu doloris p̄peti

possit. morteq; nō possit: erit tūc talis caro qualis nūc nō est: sicut talis erit et mors qualis nūc nō est. Nō enī nulla s; sempiterna mors erit: qñ nec vivere anima poterit deū nō habēdo: nec dolorib; corporis carere moriendo. Prima mors animā nolentē pellit de corpore: sedā mors animā nolentē tenet in corpore. Ab utraq; morte omittitur id habet: ut qd non vult anima. de suo corpore patiat. Attēdūt aut̄ isti contradictores nullā eē nunc carnē q̄ dolorē pati possit. mortemq; nō possit: et nō attēdūt esse tūc aliquid tale qd corpore maius sit. Ipse quippe animus cuius presentia corpus vult et regit: et dolorē pati potest: et mori nō potest. Ecce inuēta res ē: quē cū sensu doloris habeat: immortalis est. hoc ergo erit tūc etiā in corporib; dānatorib;: qd nūc eē scimus in animis oīm. Hic aut̄ consideramus diligētius. dolor qui dicitur corporis. magis ad animā pertinet: anime est enī dolē nō corporis: etiā qñ ei dolēdi causa existit a corpore: cū in eo loco dolet: ubi ledit̄ corpus. Hic ergo dicimus corpora sentientia et corpora viuentia cū ab anima sit corporis sensus et vitalita corpora dicimus et dolētia: cū dolor corporis nisi ab anima esse nō possit. Dolet itaq; anima cū corpore in eo loco ei⁹ ubi aliquid contingit ut doleat: dolet et sola q̄uis sit in corpore cū aliq; causa etiā inuisibili tristis est ipa corpore incolumi. Dolet etiā nō in corpore constituta. Nā utiq; dolebat diuīs ille apud inferos. qñ dicebat: cruciō i hac flama. Corpus autē nec examine dolet: nec animatū sine anima dolet. Hic ergo a dolore argumentū recte sumeretur ad mortē. ut ideo mors possit accidē q̄ potuit accidere et dolor: magis ad animā pertinet mori ad quā magis pertinet et dolere. Cū vero illa q̄ magis dolere p̄t nō possit mori: quid momēti affert

cur illa corpora qm̄ futura sūt in doloribus. ideo etiā moritura credamus. Dixi xerūt quidē platomici ex terremis corporib; moribūdisq; membris esse aīe et metuere. et cupe. et dolere atq; gaudere. Vn et Agilius. hinc inquit id ē ex moribūdis terrem corporis membris: metuūt cupiūtq; dolētq; gaudētq;. Hic ouicimus eos in duodecim huius opis libro habē animas secundūm ipsos ab omni etiā corporis labo purgatas: dirā cupiditate q̄ rursus incipiūt in corpore esse reuerti. Vbi aut̄ p̄t esse cupiditas: profecto etiā dolor potest. frustra quippe cupiditas. siue nō puenēdo quo tendebat. siue amittēdo quo puenerat: vertitur in dolorē. Quia ppter si anima q̄ vel sola. vel maxie dolet. h; tūc qndā p suo mō immortalitatē suā: nō ideo mori poterit illa corpora q̄ dolebūt. Postremo si corpora faciūt ut anima doleat. cur eis dolorē possunt. mortē vero inferre nō possunt: nisi q̄ sequēs nō ē. ut mortē faciat qd dolorē facit. Cur ergo incredibile ē ita ignē illis corporib; dolorē posse inferre nō mortē: sicut ipa corpora dolē animas faciūt q̄s tūc nō ideo mori cogunt. Non est ergo necessariū future mortis argumentū dolor. Ca. quartū.

Quia ppter sicut scripsérūt q̄ narruras animaliū curiosius in dicatorūt: talamādra in ḡmib; viuit. Et quidā notissimi sicilie mōtes. q̄ tanta diuturnitate tempis ac vetustate usq; nūc ac dém̄ ceps flāmis estuāt atq; integrī p̄seuerat. satis ydonei testes sūt nō omne qd ardēt absumi. Et anima in dicat. nō omne qd dolere p̄t: posse etiam mori. Quid adhuc a nobis rerū poscūtur exēpla. quib; doceamus nō ēe incredibile ut homin corpora sempiterno supplicō pumtoib; et in igne animā nō amittāt: et sine detrimēto ardeat. et sine intēitu doleat. Habebit enī tūc istā

carmis fūstātia qualitatē ab illo īdītā. qui tā miras et varias tot rebus īdidit quas videmus: ut eas q̄ multe sūt nō miram̄. **Q**uis enī mīsi deus creator: oīm dedit carmi pauom̄ mortui ne putrescēt. **Q**đ cū adiū īcrediblē levideret: euēnit ut apud cartaginē nobis cocta adponeret h̄ec aus. **D**e cuius pectore pulpaz̄ q̄ntū visu est decerp̄tū suari iussimus. **Q**đ post die rū tñ spaciū quāto alia caro quecūq̄ cocta putrescēt p̄ latū atz̄ oblatū: mīchil nīm offendit olfactū. **N**e q̄s repōsitū post dies amplius q̄ triginta idē qđ erat īuentū est. **I**dēq̄ post annū: mīsi qđ aliquātū corporalē siccoris et cōtractoris fuit. **Q**uis palee dedit vel tā frigidāvīm ut obrutas niues fuet vel tā feruidāut poma īmatura māturet. **D**e ipo igne mira q̄s explicet: quo queq; adusta migrēscut cū ipē sit lucidus. et pene om̄ia q̄ ambit et lambit colore pulcherrima decolorat. atz̄ ex pruna fulgida carbonē tēterrīmū reddit. **N**e q̄s id q̄ regulariter diffini tū ē. **N**ā ecōtrario lapides igne can dente pecti. et ip̄i fuit candidi: et q̄uis ille magis rubeat. illi albicēt: cōgruūt tñ luci qđ albū est. sicut migrū tenebris. **C**ū itaq̄ ignis ī ligis ardeat ut lapides coquat: contrarios h̄z nō ī contrarios rebus effectus. **E**t si enī lapides et ligna diuersa sūt. contraria tñ nō sūt: sicut albū et migrū quorū ī lapidibus vñ facit: alterū ī ligis: claros illos clarificās. hec effuscas: cū nullis deficeret: mīsi ī istis viueret. **Q**uid ī carbombō: **N**ōne mirāda res est. et tanta īfirmitas ut ictu levissimo frangātur. pressu facilimō cōterātur: et tāta firmitas. ut nullo humore corrūpāt. nulla erate vncātū: usq; adeo ut eos sub sternē soleāt. qui limi tes figūt. ad cōuncēdū litigato: em. quisquis post q̄ntalibz̄ tpa extiterit.

fixūq; lapidē līmitē nō esse ostendelte. **Q**uis eos ī terra humida īfossos. vbi ligna putrescerēt tādiu durare īcorruptiblē posse mīsi terū ille cor ruptor iḡnis effecit. **I**ntueamur etiā miraculū calcis. excepto eo de quo iā satis diximus qđ igne candescat quo alia tetra reddūtur. etiā occultissime ab igne ignē cōcipit eūq; iam gleba tangētibz̄ frigida tā latēter fuat. ut nulli nīo sensui p̄fusus apparet: s̄ cōptus expīmētū etiā dum nō apparet. sciatū ī melle sopitus. Propter qđ eā calcez̄ viuā loqm̄ur: velut ipē ignis latētes aīma sit īvisibilis. visibilis cōpis. **J**am vero q̄ mirū est qđ cū extinguitur. tūc accenditū: **S**ot enī occul to igne careat aque infundit: aqua ve pfundit: et cū ante sit frigida inde feruescit: vñ feruētia cū cōta frigescut. **V**elut expiratē ergo illa gleba. disce des ignis q̄ latebat apparet: ac deinde tanq̄ morte sic frigida ē: ut adiecta vnda nō sit arsura: et q̄ calcē vocabas mus viuā vocemus extinctā. **Q**uid ē qđ huic miraculo addi posse videat̄? **E**t tñ additur. **N**ā si nō adhibeas a quā s̄oleū qđ magis somes est ignis nulla eius pfusione vel īfusione feruescit. **H**oc miraculū si de aliquo īdīco lapide legeremus siue audiēmus: et ī nīozū experimentū venire nō posset: pfecto aut mendaciū putaremus: à certe grāditer mirarem̄. **Q**uarū vero rerū ante nīos oculos cotidianā do cum ēta versant̄ nō genere minus mirabili s̄ ip̄a assiduitate vilescut: ita ut ex ip̄a īdia q̄ remota ē pars orbis a nobis defierimus nōnulla mirari: que ad nos potuerūt mirāda p̄duci. **A**d amantē lapidē multi ap̄d nos habēt: et maxie aurifices īsigint: esq; gemaz̄. **Q**ui lapis nec ferro nec igni nec alia vīlla p̄hibetur p̄ter hircinū sanguinē vīci. **S**z qui cū habent atz̄

nouerūt: nū quid ita mirātur. ut hī q̄
bus p̄mū potētia eius oñdit̄. Quib⁹
aut̄ nō oñdit̄. fortasse nec credūt. si
credūt iexpta mirātur: et si tigēt ex-
piri. adhuc quidā mirātur insolita: si
assiduitas expiēdi paulat̄ s̄btrabit
admiracōis incitamentū. Magne la-
pidē nouimus. mirabilē ferri eē raptō
rē. Qd cū p̄mū vidi: vel xemēter in hor-
rui. Quippe. cernebā a lapide ferreū
anulū raptū atq̄ suspensiū: deinde cū
tanq̄ ferro qd rapuerat vīm de dissēt
suā omunēq̄ fecisset. id ē anulus alte-
ri admotus ē: eundēq̄ suspendit: atq̄
ut ille prior lapidi: sic alter anulus
prior anulo cohæret. Accessit eo-
dem mō tercius: accessit a qrtus. Jam-
q̄ sibi p̄mutua circulis nexis nō impli-
catoꝝ intrinsecus s̄ extrinsecus ad
herētū: q̄i cathena p̄p̄derat anulox.
Quis istā vīm lapidis nō stuparet q̄
illi nō solū merat. verū etiā p̄ tot suspe-
sa trāfibat. et inuisibilib⁹ ea vinculis
subligabat. Et multo est mirabilius
qd a fratre et coepiscopo meo seuero
mileuitano de isto lapide cognoui.
Seipm nāq̄ vidisse narravit. quēad
modū batanarūs quodā comes afri-
ce cū apō cū omuaret̄ episcopus eu-
de p̄tulerit lapidē. et tenuerit sub ar-
gento. ferruḡ sup̄ argentū posuerit:
deinde sic subter mouebat manū q̄ la-
pidē tenebat. ita ferrū desup̄ moue-
batur: atq̄ argēto medio nichilq̄ pa-
ciēt. cōcitatissimo cursu ac recursu in-
fra lapis ab hoie sup̄ ferrū rapiebat
a lapide. Dixi qd ip̄e conspxi: dixi qd
ab illo audiui: cui tanq̄ ip̄e viderim
credi. Quid etiā de isto magnete le-
gerim. dicā. Qn iuxta eū pomē ada-
mas nō rapit ferrū: et si iam rapuerat
ut ei p̄pm̄ querit mox remittit. India
mittit hos lapides. Et si eos nos
cogmitos iā defistimus admirari: qn-
tomagis illi a quib⁹ remūt. si eos fa-

alimos habet. si forfitā hñt ut nos cal-
ce. quā miro mō aqua feruēcentē q̄
solet ignis extingui. et oleo nō feruē-
centē quo solet ignis accendi. q̄i m-
promptu nobis ēnō miram⁹. Ca.v.
Terūtamē hoies infideles qui cū
diuīma vel p̄teritavel futura mira-
cula p̄dicamus q̄ illis ex periēda non
valemus ostēdē: racōnē a nobis ea-
rū flagitāt rerū. Quā qm̄ nō possim⁹
reddē. excedūt enī vires mētis hūa-
ne: existimāt falsa esse q̄ dicimus: ip̄i
de tot mirabilib⁹ rebus q̄s vel vidē pos-
sumus vel videmus debēt reddē ra-
cōnē. Qd si fieri ab hoie nō posse pui-
derint. fatendū ē eis nō ideo aliquid
nō fuisse. vel nō futurū esse: q̄i racō nō
p̄t inde reddi: qñquidē sūt ista. de q̄
bus similiter nō p̄t. Nō itaq̄ p̄go per
plurima q̄mādata sūt literis nō ge-
sta atq̄ trāfacta. s̄ in locis quibusq;
manētia: quo si quisq; n̄ e voluerit et
potueit: vtrū vera sūt explorabit. S̄
pauca cōmemoro. Agrigētū sicilie
salē phibēt cū fucit admotus ignive-
lut in aq̄ fluescere: cū vero ip̄i aq: velut
mignē crepitaē. Apud garamātas
quēdā fontē tāfrigidū dieb⁹ ut nō bi-
bat: itā feruēdū noctib⁹ ut nō tāgat.
In epiro aliū fontē i quo faces ut in
ceteris extīguūtur accense: s̄ nō ut in
archadie lapidē p̄pterea sic vocari:
qd accēsus semeliam nō possit extin-
gi. Lignū cuiusdā fucus egyptiē nō
ut ligna cetera i aquis natari s̄ mer-
gi: et qd ē mirabilius cū in ymo aliq̄
diu fuerit: inde ad aque sup̄ficiē rur-
sus emergē qñ madefactū debuit hu-
morū gigm̄ quidē. et ad maturitatē
faciē p̄uemre: s̄ morsu pressiue tem-
ptata. in fumū ac fauillā corio fateſcē
te vanescere. P̄irritē lapidē p̄ fūcū te-
nentis manū s̄i vebemētius p̄matur

adurē: ppter qđ ab igne nomē accēpit. In eadē phide gigmi etiā lapidez
lelementē: cuius īteriorē candorē cūluna
crescē atq; deficere. In capadocia
etiā ventu equas cōcipe: eos dē qđ fetus
non amplius trienio vnuere. Thilen
īndie īsulā eo pferri cētis ternis qđ
om̄is arbor q̄ m̄ ea gigmē nūq̄ nuda
tur tegmē folior̄. De hijs atq; alijs
īnumere ābilib⁹ mirabilib⁹ q̄ historia
nō factōrū et transactor̄. H̄ manētū
locorū tener: m̄ aut̄ aliud agēti ea p̄
sequi mīmis longū ē. Reddāt racōnē
si possunt īfidēles isti q̄ nolunt diui-
nis literis credē: quid aliud q̄ nō pu-
tantes eas esse dīmas. eo qđ res ha-
bēat īcredibiles: sicuti hoc est vnde
nūc agnūs. Nō enī admittit īquūt
ulla racō: ut caro ardeat: nec absuma-
tur: doleat: neq; moriat: racōcinatoēs
videlic⁹ magni q̄ de om̄ib⁹ rebus q̄s
esse mirabiles constat possent reddē
racōnē. Reddāt ergo de hijs q̄ pau-
ca posuimus: q̄ pculdubio si esse nes-
cīrēt et ea futura esse diceremus: mul-
to minus crederēt q̄ q̄ nūc dicētib⁹
nobis nolūt credē aliqñ esse venturū.
q̄s enī eoꝝ nob̄ credēt: si quē admo-
du dicimus futura hōim viva corpora q̄
semp arsura atq; dolitura nec tñ aliqñ
mortura sīnt: ita dicēmus ī futuro se-
culo futurū salē quē faceret īgnis ve-
lut ī aqua fluescere. eundēq; faceret
aqua velut ī igne crepitaē: aut futu-
rū fontē cuius aqua ī refrigerio no-
ctis sic ardeat: ut nō possit tangi: ī
estib⁹ vero diei sic algeat ut nō possit
tangi: aut futurū lapidē vel eū qui suo
calore manū cōstrīngētis adureret:
vel eū qui vnde cūq; accensus extin-
gi om̄ino nō posset. et cetera q̄ pter-
missis alijs īnumeris cōmemorāda
interim duxi. Nec ergo ī illo seculo
qđ futurū ē si diceremus futura: nobis:
q̄ increduli respōderēt. Di vultis ut

ea credamus: de singulis reddite ra-
tionē. Nos non posse offiterem: eo q̄
istis et similib⁹ dei miris opib⁹ infir-
ma mōrū ratiocinacō vinceret: fixā
tñ apud nos esse racōnē nō sine racō-
ne om̄ipotentē facē: vñ animus hūa-
nus infirmus racōz nō possit reddē:
et ī multis quidē rebus īcertū nobis
esse quid velit: illud tñ esse certissimū
nichil eoꝝ illi ē īpossibile quēcūq;
voluerit: eiq; nos credē p̄dicēt: quē
neq; īpotentē: neq; mentientē possu-
mus credē. Vñ tñ fidei reprehēso re-
exactoresq; racōmis: quid ad ista re-
spōdent de quib⁹ racō reddi ab hoc
nō p̄t: et tñ sūt: et ip̄i racōnē nature vi-
detur esse otrariae. Que si futura esse di-
ceremus: sūliter a nobis sicut eoꝝ q̄
futura esse dicimus ab infidelib⁹ racō
posceret: ac p̄ hoc cū ī talib⁹ opib⁹
dei deficiat racō cordis et memoriis hūa-
ni: sicut ista nō īdeo nō sūt: nō īdeo etiā
illa nō erūt: qm̄ racō de vtrisq; ab hoc
mīe nō p̄t reddi. Ca. vi.

Re forte respondeat. pr̄sūs nec
ista sūt: nec ista credimus: fal-
sa de hijs dicta: falsa cōscripta sūt: et
adiciat racōcinātes atq; dicētes. Si
talia credēda sūt credite: et vos qđ
ī eisdem literis est relatum fuisse vel
esse quoddā veneris fanū: atq; ibi cā
delabru: et ī eo lucernā sub diuo sic
ardentez: ut eam nulla tēpestas: nul-
lus imber extingueāt. Vñ sicut ille la-
pis: ita ista lichnos asbestos id ē lu-
cernā īextinguisibilis noiata est. Qđ
ppterā dicē potuerit ut respondēdi no-
bis angustias īgerat: q̄ si dixerim⁹
nō esse credendū: scripta illa miracu-
lorū īfirmabimus: si aut̄ credēdū ēē
cesserimus: firmabimus numia pa-
ganorū. H̄ nos sic iā ī libro duodeci
gesimo hūuis opis dixi: nō habemus
necessē oīa credē: que historia otinet
gentiū: cū cūp̄i inter se historici sicut

ait varro quasi data opa. et quasi ex
industria p multa dissentiat. **S**i; et ea
solumus credimus q̄ nō adūsantur
libris: quib⁹ nō dubitamus oportere
nos credē. De hīs autē miraculorū lo-
cīs. nob̄ ad ea q̄ futura p suadē ince-
dulīs volumus. satis illa sufficiunt. q̄
nos q̄s possimus expiē: et eorū testes
ydoneos nō difficile est inuenire. **D**e
isto autē fano veneris. et lucerna inex-
tinguibili. nō solū i nullas cohortam
angustias: verū etiā latitudinis nob̄
campus aperit. **A**ddimūs enī ad istā
lucernā inextinguibile. et hūanaꝝ et
magicaꝝ. id est p hōies demonicarꝝ.
artīū. et ipoꝝ p scīpos demonū mul-
ta miracula. **Q**ue si negā ē voluerim⁹
eidē ipi cui credimus sacrarū litera-
rū adūsabimur veritati. **A**ut ergo in
lucerna illa mechanicū aliquid de la-
pide asbesto arshūana molita est: à
arte magica factū ē qđ hōies illo mi-
rarētur in tēplo: aut dēmō quispiā s̄b
noīe veneris tanta se efficacia p senta-
uit: ut hoc ibi p digūi et apparēt hōib⁹
et diuitius p maneret. **I**llicitur autē de-
mones ad mhabitandū p creatures
q̄s nō ipi s̄ deus cōdidit delectabili-
bus. p sua diueritate diueris: nō ut
ai alia cibis. s̄ ut spūs hīgīs: q̄ cuius-
q̄s delectacōne o grūt p varia ḡna
lapiduz. herbarꝝ. lignorū. animaliū.
carmīnū. rituū. **V**t autē illicitur ab ho-
mīb⁹ p̄s eos ipi astutissima callidi-
tate seducūt. vel inspirādo eorū cordi-
bus virus occultū: vel etiā fallacibus
amicīns appārēdo: eorūq̄ paucos
discipulos suos faciūt plurimorūq̄
doctores. **N**e q̄s enī potuit mī p̄mum
ipis doctēb⁹ discī. quid quisq̄ illorū
appetat. qđ exhortat: quo mūtetur
noīe quo cogatur: vñ magice artes
earūq̄ artifices extiterit. **M**axie autē
possidet cor da mortaliū: q̄ potissimum
possessione gloriatur: cū se trāfigurat

in angelos lucis. **S**unt ergo facta
eoꝝ plurīma. q̄ quātō magis mirabi-
lia cōfitemur: tanto cautiū vitaē de-
bemus. **S**i ad hoc vnde nūc agīmus:
nobis etiā ipa p̄ficiūt. **S**i enī hēc im-
mūdi dēmōes possunt: q̄nto potētō
hīs omīb⁹ deus. qui tātoꝝ miraculo-
rū effectores etiā ipos āgelos fecit.
Quāobrē si tot et tanta mirifica. que
mechanemata appellāt. dei creatura
vtētib⁹ hūamis artib⁹ fūt. ut ea q̄ nes-
ciūt opīmētū esse diuīma: vñ factū ē
ut in quo dā tēplo lapidib⁹ magnē-
tib⁹ i solo et camera p̄pōcōne magni-
tudis pōtis simulacrū ferreū aeris il-
lius medio inter vtrūq̄ lapidē igno-
rātib⁹ quid surſū ess̄. ac deorsū q̄ nu-
minis potestate pendēt: q̄le alīqđ etiā
in illa lucerna vñcīs de lapide asbe-
sto ab artifice fieri potuisse ī dixim⁹
si magorū opa quos nīra sc̄ptura vene-
ficos. et incātatores vocat. intantū de-
mones extollē potuerūt. ut o grūē ho-
mīmū sensib⁹ sibi nobilis poeta vidē-
tur. de quadā femīa que tali arte polle-
ret dices: hec se carmīnb⁹ p̄mittit sol
uere mentes: q̄s velit ast alīs dūras
mūmitē curas: fistere aquā fluiūs et
vertere fidēa retro: nocturnos sciet
manes mugire videbis: sub p̄dibus
terrā. et descendē montib⁹ ornos: q̄n-
tomagis deus potēs ē facere q̄ mīfide-
lib⁹ fūt incredibilia. s̄ illius facilia po-
testati: q̄n quidē ipē lapidū aliarūq̄
vīm rerū et hoīm ī genia q̄ ea mīris
vītūtū modis. angelicasq̄ naturas
omīb⁹ terremis potētores animātib⁹
odidit vñmīla mirabilia. mirabilivī-
cente vītute. et operādi. iubēdi. simēdi-
q̄ sapientia. vītēs omīb⁹ tā mirabiliter
q̄ creauit. **C**a. vii.

Qor itaq̄ facere nō possit deus
ut q̄ resurgāt corpora mortuorū et
igne eterno cruciēt corpora dānatorū:

qui fecit mundū i celo. i n aere. i n aq̄s.
i nnumerabilib⁹ miraculis plenū: cū
sit om̄ib⁹ quib⁹ plenus ē pculdubio
maius et excellētius etiā ip̄e mūdus
miraculūs. **D**ed isti cū quib⁹ vel cōtra
quos agimus. q̄ et deū esse credunt a
quo factus est mundus. et deos ab
illo factos per quos ab illo admim-
istratur hic mundus. et miraculorum
effectrices sive spontaneor⁹. sive cul-
tu et ritu quolib⁹ impetrator⁹. sive etiā
magicor⁹. mūdanis vel nō negat vel
insupcip̄t dicat potestates. q̄n eis rerū
vīm mirabile p̄pomimus aliar⁹. q̄ nec
alia sūt racōnalia nec vlla racō e p-
dit sp̄us. sicut sūt ea quor⁹ pauca cō-
memor auimus. respondē assolēt. **S**is
estista nature: natura eoꝝ sic sese hz.
apriarū iste sūt efficacie naturar⁹. **T**o
ta itaq⁹ racō est cur agrigētū salez
flāma fluere faciat. aqua crepitare:
q̄ hec ē natura eius. et hoc esse potius
cōtra naturā videt que nō igm̄ s̄ aq̄
dedit salē soluere: torri aut igm̄ nō
aque. **H**ic ista inquiūt salis huius na-
turalis ē vis: ut hys otraria patiatur.
Hec igit̄ racō reddit. et de illo fonte
garamātico vbi vna vena frigit die-
bus noctib⁹ feruet: vi vtraq⁹ molesta
tangētib⁹. **H**ec et de illo alio. q̄ cū sit
cōrectatib⁹ frigidus. et facē sicut alij
fontes extinguat acensas: dissimili-
ter tñ atq⁹ mirabiliter idē ip̄e accen-
dit extinctā. **H**ec a de lapide asbestos
qui cū ignē nullū habeat p̄prū: acce-
pto tñ sic ardet alieno: ut nō possit ex-
tingui. **H**ec de ceteris q̄ piget retexē
quib⁹ licetvis insolita otria naturā in-
esse videat: alia tñ de illis nō reddit
racō: mī ut dicat hec eorū ēē natura.
Hreuis sane ista ē racō fateor suffici-
ensq⁹ responsio. **H**ic cū deus auctor sit
naturar⁹ om̄: cur voluit fortiorē nos
reddē racōnē. q̄n aliqd velut impossibili-
ble nolūt credē. eisq⁹ reddicōnē ra-

cōmis poscentib⁹ respondemus hanc
esse volūtate dei om̄ipotētis? **Q**ui cer-
te nō ob aliud vocat om̄ipotens. mī
qm̄ quicqd vult potest. q̄ potuit crea-
re tā multa q̄ mī ostēderetur. à a cre-
dendis hodie q̄ diceretur testib⁹: p̄ fe-
cto impossibilia putarētur. nō solū q̄
ignotissima apud nos. verū etiā que
notissima posui. **I**lla enī q̄ apud nos
pter eos quor⁹ de hys libros legi-
mus nō habet testē. et ab eis cōsc̄pta
sūt q̄ nō sūt diuinitus docti atq⁹ hūa-
mitus falli forte potuerūt: licet cuiq⁹ si-
ne rectā rep̄hensione nō credē. **N**am
nec ego volo temē credi cuncta que
posui. q̄ nec a meip̄o ita credūt tāq̄
nulla de illis sit in mea cogitacōe du-
bitacō: exceptis hys q̄ vel ip̄e sum ex-
ptus et cuius facile ē exp̄iri: sic de cal-
ce q̄ feruet i aqua. i n oleo frigida est
de magnete lapide. q̄ nescio qua soi-
bicōne insensibili stipulam nō moue-
at et ferrum rapiat: de carne non pu-
trescente paucis cū putruerit q̄ plaz-
tomis: de palea sic frigēt ut fluecere
miū nō smat. sic calente ut mātēsce
re poma cōpellat: de igne fulgido q̄
scdm̄ suū fulgo: et lapides coquēdo
candificet. et cōtra eundē suū fulgorē
vrendo plurmia fuseet. **T**ale ē et q̄
migre macule offundūt ex oleo splē-
dido. similiter migre līmee de candido
im̄p̄mūtūr argēto. **D**e carbomb⁹ etiā
qd acedētē igne sic vertātur in cōtra-
riū. ut de ligmis pulcherrimis tetri-
fragiles de duris. imputribiles de pu-
tribilib⁹ sīt. **L**ec ip̄e quedā cū mul-
tis. quedā cū om̄ib⁹ noui: et alia plu-
rima que huic libro inserere longuz
sūt. **D**e hys aut q̄ posui nō expta sed
lecta. p̄ter de fonte illo vbi facesq⁹ ex-
tinguitur ardētes q̄ accēdūtūr extin-
cte: et de pomis terre sodomorū form-
secus q̄i mātēs intrīmsecus fumeis:
nec testes aliquos ydoneos a quib⁹

utrum vera essent audire potui reperi-
re. Et illū quidē fontē nō muem qui in
egipto vidisse se diceret. s; qui in gal-
lia similē nossent nō lōge a garciano
poli ciuitate. De fructib; aut so domi-
tarū arborū nō tantū litere fidecligne
in dicāt; verū etiā tā multi se loquitur
exptos: ut hinc dubitare nō possim.
Cetera vēo sic habeo ut neq; affirmā-
da neq; negāda decreuerim: sed ideo
etiā ipsa p̄sui. qm̄ apud eoz contra
quos agimus historicos legi. ut ostē-
derē qualia multa. multiq; illoz nul-
la redditā racōne. in suoꝝ literatoꝝ
scripta literis credāt. qd nobis credē
qm̄ id qd eoꝝ expientā sensiꝝ trā-
gredit̄ om̄ipotētē deū dicimus esse
facturū: nec redditā racōne dignātur.
Nam qd melior et validior racō de re-
bus talib; reddit̄: qd cū om̄ipotētē ea
posse facere p̄hibetur. et facturus di-
citur que p̄nūcialle ibi legit̄. vbi alia
multa p̄nūcialle. qd feasse mōstratur.
Hoc quippe faciet. qd se facturū esse p̄-
vixit. que impossibilia esse putātur: qd
pm̄ifit et fecit ut ab incredulis genti-
bus incredibilia crederēt. **Ca.** viii.
Haut respondēt p̄terea se non
credē que de hūamis semp ar-
furis nec vnq; morituri corporib; di-
cimus. qd hūanorū corporū naturā no-
numus longe aliter institutā. vñ nec
illa racō hinc reddi potest. que de illis
naturis mirabilib; reddebat̄. ut dici
possit. vis ista naturalis est. rei huius
ista natura est. qm̄ scimus hūane car-
nis istā nō ē naturā: habemus quidē
qd respō de amis de literis sacrīs. hāc
ipam sc̄ hūanā carnē aliter institutā
fuisse ante peccatū id ē ut posset nunq;
p̄peti mortē: aliter aut post peccatū qd
lis ierūna huius mortalitatis inno-
tuit ut p̄petuā vitā tenē nō possit. **Die**
ergo aliter qd nobis nota ē instituet̄
in resurrectōne mortuorū. **S;** qm̄ illis

nō credūt literis vbi legit̄ qualis in
paradiso vixerit homo. quantūq; fue-
rit a necessitate mortis alienus. quib;
vtiq; si crederēt. nō cum illis de pena
dānatorū qd futura est oposius agere
mus: de literis eorum quo doctissimi
apud illos fuerūt aliquid p̄ferendū
est: quo appareat posse fieri ut aliter
se habeat queq; res qd prius in rebus
innouerat sue determinatioē nature.
Est in marci varromis libris quoꝝ in-
scripcō est de gente p̄pli romam qd
eisdē verbis quib; ibi legit̄ a hic po-
nā. In celo inquit mirabile extitit po-
tentū. Nam stellā veneris nobilissima.
quā plautus vespugīmē. homerus he-
peron appellat pulcherrimā dicens:
castor scribit tm̄ portentū extitisse ut
mutaēt colorē. magnitudinē. figurā
curluz: qd factū ita nec antea neq; po-
stea fit. **H**oc factū ogygo rege dice-
bāt ad rastos cīcenos. et dioneapo-
lites mathematici nobiles. **H**oc cer-
te varro tantus auctor portentū non
appellarer: nisi esse cōtra naturā vide-
retur. **O**mnia quippe portenta otrana-
turā dicimus esse: s; nō sūt. **Quomō** ē
enī otrā naturā qd dei fit volūtate: cū
volūtas tantū vniꝝ o ditoris condite
rei cuiusq; natura sit. Portentū ergo
fit nō cōtra naturā: s; cōtra qd est nota
natura. **Q**uis aut portentorū numerat
multitudinē: qd historia gentiū otne-
tute. **S;** nūc i hoc vno attēdamus qd
ad rem de qua agimus p̄tinet. **Q**uid
ita dispositū est ab auctore nature ce-
li et terre: quēadmodū cursus ordīna-
tissimus siderū. **Q**uid tā ratis legib;
fixisq; firmatū. Et tñ qn̄ ille voluit qd
sumo regit impio ac potestate qd co-
dicit: stella p̄e ceteris magnitudie
ac splendore notissima. colorē. mag-
nitudinē. figurā. et qd est mirabilis. sui
cursus ordīnē legēq; mutauit. **T**ur-
bavit p̄fecto tunc si ylli iam fuerunt

canones astrologorum: quos velut inerrabili computacione de partibus ac futuris astrorum motibus scriptos habet. Quos canones sequendo aucti sunt dicere. hoc e qd de lucifero contigit: nec antea nec postea contigisse. Nos autem in diuinis libris legimus etiam sole ipsum stetisse cum a domino deo petiisset vir sanctus ihesu naue donec ceptum plenum vice ratione terminaret. et retrosum redisse ut regi ezechie quidem anni ad viuendum additi. hoc etiam perdigio per missiois dei significaretur adiuncto. H; ista qd miracula quod meritis sunt ocessa sanctorum: qd credunt isti facta. magicis artibus tribuit. Non illud est qd superius omemorauit dixisse virginem. h; iste aqua fluens. et revertere sidera retro. Nam et fluens stetisse superius inferiusque fluxis se cum plus dei ductore super memorato ihesu naue via carpet. et helia prophetam trahente. ac postea discipulo eius hysleo id esse factum in sacris literis legitimus. et retrouersu fuisse maximum sic regnante ezechia modo omemoramus. Qd vero de lucifero varro scriptus non est illic dictum alicui homini pertinere fuisse ocessum. Non ergo de noticia naturali caliginem sibi faciant infideles qui non possunt in aliqua re diuinitus fieri aliud quam in eius natura per humanam suam expientiam cognoverunt: quis et ipsa quae in rerum natura omnibus nota sunt non minus mira sint. essentque stupenda consideratibus cunctis: si soleret hoies mirari mira nisi rara. Quis enim consulta racone non videat in hominim innumerabilis numerositate. et tanta naturae similitudine. valde mirabiliter sic habere singulos singulas facies: ut nisi inter se similes essent non discordes cerneantur eorum species ab aliis ceteris: et tuis. nisi inter se dissimiles essent non discerneretur singuli ab omnibus ceteris. Quos ergo similes oitem: eosdem

dissimiles inuenimus. H; mirabilior est ostendacō dissimilitudinis: qm similitudinem iustius videt exponere natura communis. Et tñ que sunt rara. ipsa sunt mira: multo enim amplius admiratur. qd duos ita similes repimus ut in eis discernēdis: aut semper aut frequenter erremus. H; qd dixi scriptum a varrone licet eorum sit historicus id est doctissimus. fortasse vere factum esse non credunt: aut quod non diu manxit alius eiusdem sideris cursus. sed redditum est ad solitum cursum: minus isto mouetur exemplo. Habet ergo aliud quod etiam nunc possit ostendit. eisque puto debere sufficere quo omoveatur. cum aliquid adiuterint in aliqua institutione naturae. eaque sibi notissima fecerit. non se inde deo debere prescribere: quasi ea non possit in longitude aliud quam eis cognita est verte atque mutare. Terra sodomeru non fuit utique ut nunc est: sicut iacebat simili ceteris facie: eademque etiam uberiorē secunditate pollebat. Nam dei paradiſo in diuinis eloquijspata est. Nec postea quod tanta de celo est. sic illorum quod attestat historia. et nunc ab eis qui veniunt ad loca illa spicite. perdigiosa fuligine horror est: et poma eius interiorē fauillā mendaci superficie maturitatis inclūdunt. Ecce non erat talis: et talis est. Ecce a ditore naturarum. natura eius in hac fedissimā diversitatē mirabili mutatione ouersa est: et qd post tantum longum accidit tempus: tam longo tempore permaneat. Sic ergo non fuit impossibile deo quod voluit instituere: sic ei non est impossibile in quicquid voluerit quas instituit mutare naturas. Non illorum quod miraculorum multitudine vilescit. quod monstrantur. potest. perdigia nuncupantur. Que recolere et omemorare si velim: huius opis quod erit finis. Nonstrane dicta prohibet a monstrando quod aliquod significando demonstraret: et ostenta

ab ostēdēdo. et portēta a portēdēdo.
id est postēdēdo: et p̄digia qđ por-
ro dicāt id est futura p̄dicat. **V**ide-
runt eorū coniectores. quō ex eis hue
fallātur. siue īstinctu spirituū. quib⁹
cura est tali pena dignos ammos ho-
mīnū noxi⁹ curiositatis retrib⁹ implica-
re. etiā vera p̄dicat: siue multa dicēdo
aliquā do i aliquid vitatis meurrat:
nobis tñ ista que velut otra naturā fi-
unt. et otra naturā fieri dicūt: quo mo-
re hoīm locutus ē. et apl's dicēdo. otra
